



VRbanus ex nobili familia à Trembach natus & educatus est. Hic à pueris operam literis et uirtutibus dedit, & in ijs plurimum in patria profecit. Postea sese in Italiam contulit, et aliquandiu Romæ atq; in alijs gymnasijs diligēter libris incubuit. in ijs locis Mathematica studia excoluit, & sacras literas sibi familiares reddidit. Itaq; factum ut ob uirtutes anno 1561 Passauiensis Episcopus omniū consensu electus fuerit. Tum uerò diligētius ad studia literarum promouenda animū aduertit, atq; bibliothecam, prius à Vuilhelmo à Salm Episcopo fundatam, multis libris exornauit, & in ea frequenter legendo tempus absumpsit. In primis uerò Historijs

inhæsit, atq; nobilium insignia, ueterumq; imagines eruere tētauit. Itaq; cum 1565 in ijs partibus essem, eius ditionis subditi eum multa uirtutis prædicatione commendarunt, atq; Romani Imperij decus statuerunt, ut meritò hoc loco eius præsulis uitæ mentionem fecerim. Anon.